



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui Christi pecunias auferunt vel rapiunt. xviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De illis qui Christi pecunias auferunt vel rapiunt.*

*Caput XVIII.*

**Q**ui abstulit, inquit, aliquid patri, homicidæ particeps est. Pater noster, sine dubio, Deus est, qui nos creauit. Mater verò Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, rapit, aut fraudat, homicida est, atq; ante Deum homicida deputatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacri legium facit, & vt sacrilegus iudicandus est.

*Ex epist.  
Anacleti  
papæ cum  
clis fide-  
bus missa*

*De eadem re. Cap. XIX.*

**R**erum Ecclesiasticarum & facultatū raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizantes apostolica autoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, & non solum eos, sed etiam omnes consentientes eis: quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt rei iudicantur. Augustinus dicit: Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ proditori comparatur.

*Ex decret.  
Lucii pa.  
cap. 10.*

*De eadem re. Cap. XX.*

**H**ic qui dederit vel acceperit oblationes altaris, præter episcopum vel eius missum, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

*Ex concil.  
Gægren.  
cap. 8.*

*De eadem re. Cap. XXI.*

**S**i quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam rapere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

*Ex concil.  
apud S.  
Medardū,  
cap. 1.*

*De eadem re. Cap. XXII.*

**V**ti hi qui monasteria & loca Deo sacrata & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, dampnum nouies componant, & emunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonice sententiæ subigantur.

*Ex decret.  
Ioannis  
pa. ca. 10*

*De his qui domum Dei contemptibilem ducunt.*

*Caput XXIII.*

**Q**uisquis fastu superbiæ elatus, domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas, atque ad honorè Dei sub regiæ emunitatis defensione constitutas, inhonestè tractauerit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetrauerit, quasi inuasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei viui, à communione omnium fidelium abscindatur.

*Ex concil.  
Mogūti,  
cap. 7.*